DEO OPTIMO MAXIMO.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis V. mensis Januarii, anno Domini M. DCC. LXIV.

M. CAROLO DIONIS, Rei Herbariæ Professore, Doctore Medico, Præside.

An sub finem Febris malignæ Kina-kina?

I.



UID febris? merum-ne phlogisticon, ut Græci appellant πῦρ? an impura colluvies, & malum fermentum, ut innuere videtur vox latina Febris, quam ab obsoleto verbo, *februo*, derivant? An utrumque? motus-ve aliquis inconditus? Ubi primùm oritur, an in genere nervoso? An in sanguine? De his, & similibus multùm hactenus disputatum est, sed frustra licet ab eruditis; ergò vera febris natura adhuc est, tam in obscuro, quàm in aperto sunt effectuum varietas, & frequentia. Ægrotare, idem ferè est ac febrescere. Mors sine febre non furit. Febrilis æstus intensitate, duratione, loco differt. Pro diversâ indole varia febrium cognomina. Febris maligna, febris pravi moris antiquorum, principio nihil mali præsagit, nec citò noscitur, per totum quandoque decursum fallaci fronte benignitatem mentitur; interea occulto lapsu functiones lædit præcipuas. Perit æger Medico periculi inscio. Febres malignæ omnes variæ pro locis. Pejor, & atrocior in castris, nosocomiis, & carceribus, vere, & autumno, si tempestas, calida, & humida sit. In sporadicam, & epidemicam dividitur. Epidemica putridarum more grassatur. Malum febris malignæ contagium. Frequentissimi comites, morbilli, variolæ. Sæpe bubones axillis, sæpius parotides, & abscessus. Nonnullos, quibus funera vitare contigit, manent amaurosis, surditas, imbecillitas; quæ sensim evanescunt, nisi quis imprudens topica, & saphenæ sectionem prescribat. Causa proxima videtur esse paucitas, & depravatio spiritus vitalis. Num aliam innuit virium prostratio, languor, torpor, tendinum subsultus, coma, & delirium fugax? Causæ remotiores, nimius labor, studia nimia, gravis, & diuturnus mœror, venus immodica, laxa temperies, usus ciborum facilè putrescentium, excretiones retentæ. In febre malignâ, tempora spectanda quatuor, initium, incrementum, status, seu vigor, & declinatio. Morbi initio afflictæ vires, æger segnis, morosus, doloris expers, pulsus, lingua, urinæ secretiones, vix à statu sano recedunt præter vires projectas. Increscente morbo, plurimi poraceas sordes evomunt. Stringitur ventriculus, unde cardialgia. Tumescit abdomen, pectus anhelat. Caput dolet, artus quasi dilacerati. Vigilia pertinax, & ferox. At insignis in facie mutatio mali ominis. Tremula, & retorta lingua, impedita vox. Stante morbo, jam nullus ferè cervicem urget dolor, sed assidua somnolentia. Si expergefiunt, delirant, & varia phantasmata

quieti contemplantur. Hæc autem lethum prænuntiant, & sitis modica, trux, & rubra facies, siccæ fauces, & inflammatæ, scintillantes, vel obscurati oculi. Si pulmones vitientur, idem ferè accidit, atque in pseudo-peripneumoniâ; anhelitus difficilior; cutis ardens, rigidus, & horrescens pulsus, crebriores tendinum subsultus, sensus hebes; dein animi deliquia, convulsiones à digitis ad caput: finis sævitiæ mors. Luctuosum illud malum; non verò ita frequens, quam multi clamitant ex pseudo Medicis. Illi, vel propter inscitiam, vel ut faciant fucum, opus adeo periculosum non dubitant fingere vel ultra legem, & vires tractare non erubescunt.

I I.

IN morbis acutis sanitatem restituere penè exhaustam, res maximè ardua. Facilè quidem est recensere remedia; febris-ne vehemens, & inflammatoria? Copiosis, & iteratis venæ sectonibus, largo potu, & antiphlogistico extinguitur. An primæ culinæ saburra febrem creat, & alit? Emetica, & cathartica eam extrudunt. Ubi fibris cerebri laxioribus, aut aliâ quâvis causâ irritante, humores in caput uberiùs confluunt, mittatur sanguis è saphenâ, minuetur partium inferiorum resistentia; applicetur emplastrum vesicans; ibi major erit irritatio, unde simul derivatio humorum, quâ pars superior levabitur. Hæc in genere praxis vulgatissima. Sed inter febres acutas maligna præsertim universam Medici prudentiam desiderat. In primâ ejus invasione, corpus vergit ad putredinem; huic imprimis præcaveatur. Prodesse potest è brachio, dein è pede sanguinis missio; non iteranda, quam vix paterentur projectæ vires, & quæ alioquin alkalescentiæ semen non aboleret. Ubi coma, & delirium, applicentur temporibus hirudines, aliquando vertici, aut occipiti cucurbitulæ. Cardialgia, & Vomitus morbi crescentis indices tartari stibiati largam dosim appellant. Sic quassato corpore, torpor excutitur. Deinde porrectis mannâ, & sale glauberiano cum sero lactis, ægrum brevi sanatum crederes. At post horas 30 circiter symptomata eadem plerumque graviora redeunt. In decursu morbi, duo curæ sint, unum, ut alvus fæces liberè mittat, alterum ne propagetur latiùs putridum febris fermentum. Eo conducunt acida, qualia sunt aurantia, berberis, Grossulariæ, maritanda cum laxantibus, aut seligenda acida ipsamet laxantia, v. g. tamarindi, cassia, pruni sylvestres, quibus tartarum stibiatum ritè admiscetur. Placent medicamina paulùm aromatica, sic flores chamæmeli cum nitro. Utramque potionem amaram, & acidam prudentissimè alternabis. Interdum aqua orizæ, & hordei pro alimento. Arceantur jusculа carnium, nisi levissima. Cerebrum fatiscit, torpent, & rarescunt spiritus, attritæ vires, levandum cerebrum, erigendæ vires. Cæteris præstant camphora, & crocus. Viribus ita prostratis, quantociùs applicentur cantharides, quarum vis irritans spiritum vitalem extimulat, expedit robur, immò liberat à petechiis, & maculis miliaribus. Natura molitur undequaque vias, quibus malum abigat. Auxiliantur vesicantia bis, ter, quaterve. Lentè hæc omnia fiant, & sapienter. Raro morbus ante vigesimum diem terminatur. Clysteria unum, vel duo, singulis diebus, si opus, excretiones promoveant. Aceti inflammati vapor diffundatur per cubiculum, & aër quotidiè renovatus pulmones ægrotantis recreet. Exeunte morbo, cathartica largè ministrentur mixta cum dosi sufficienti corticis Peruviani. Instituenda hæc methodus pro temperamenti, ætatis, sexus, tempestatis, & loci diversitate. Tam dosis remediorum, quam sumendi ratio accommodetur.

I I I.

QUINA quæ vox, ut suspicatur *Clar. Vir Dominus de la Condamine*, apud Peruvianos significat corticem. Dicitur reduplicativè Quina-quina, quasi præstantissimus corticum. Non idem prorsus apud nos eo nomine celebratur, qui etiamnum apud Americanos. Exoptandum foret, ut quo utuntur Peruviani, ille fortassis potentior nobis adveheretur. Noster, cui in solo natali nomen est * *Corteza*, vestit arborem frequentem in montibus provinciæ Quitensis, ubi recta crescit inter alias, quibus supereminet. Folia læ-

* Voyez le *Mémoire de l'Académie des Sciences, an. 1738, pag. 226.*

via, lata duos pollices, longa verò tres circiter, cuspidata anteriùs, posteriùs subrotunda, viridiora inferiùs, quam superiùs, caudea dimidium pollicem. Costa per mediam longitudinem excurrit, ex quâ nervi laterales ad oras alternatim obliquant. Extremum quemque ramum decorant, unus, vel plures florum fasciculi, figurâ, & colore cæruleo-cinereo, lavandulæ flores nonnihil imitantium. Singuli calices gerunt flosculos, quales fermè hyacinthi, seu formam spectes, seu magnitudinem. Ubi flos decidit, calix turget medius ad modum olivæ, crassescit, & mutatur in fructum in duo loculamenta partitum; fit brevior, & magis rotundus, quo plùs arescit. Denique dehiscit deorsùm in duas semi-conchas, quas septum separat, & induit pellicula sublutea lævis, & tenuis, unde simul erumpit semen subrufum. Varia pro solo corticis virtus. Primo intuitu melioris notæ censetur, cujus idem ac cinnamomi color, sapor sat gratus, & aromaticè amarus, odor peculiari modo mucidus, suavis tamen, & balsamicus. Denique sit friabilis, nec glutinosus: pro supposititio habendus injucundè amarus, ac intensè acerbus. Viscosum & liquore aliquo tenaci saturatum, censemus adulterinum, & rejicimus. Deprehenditur effœtus, si insipidus, & præcipuè si non amarus: putridus, si contrectatus abeat in pulverem.

Cortice analysis chymica probat contineri copiosas partes terreas. Contendunt alii substantiam fixam gummeo-resinosam, plùs tamen resinæ magis amaræ, & febrifugæ, quam gummi, utrumque cohærens arctissimè unde neutrius perfecta extractio, partes volatiles paucissimas, & debiles, oleum essentiale ferè nullum; alii appellant hanc substantiam extracto-resinosam. Aquâ si cortex infundatur, primò tingitur aurantiò colore: parùm olet, amarum sapit. Post evaporationem, in residuo color flavo-fuscus penè nullus odor, sed major quàm anteà amarities. Kina-kina, ut quædam amaræ plantæ longam pati potest ebullitionem, virtute non multùm læsâ; cui igitur extrahendæ optimè inserviunt vinum, spiritus vini, & aqua vitæ. Illa ultima, juxtà plurimos, ad tincturam præstat, quòd quasi media intercedat, ut nimii phlegmatis, sic expers nimii spiritus; quamobrem citiùs dissolvit partes gummeo-resinosas, vel extracto-resinosas, in quibus vim medicaminis sitam autumant.

I V.

CORTICEM Peruvianum prodesse sub finem febris malignæ probatur promptiùs, quàm intelligitur. Quare, & quantùm remedia prosint, in disceptationem venit. Rem extra dubium, jampridem statuit Magistra vitæ experientia, quam sequi ducem nunquam nos pudeat. Modum explicat ratio rectè, & cumulatè, cùm profert nihil, nisi consonum experientiæ. In confesso est apud omnes corticem nostrum pollere præ cæteris quâdam vi amicè astringenti, & tonicâ, ad quam referri possunt stomachica, & antiputrida. Æger quem maligna febris depasta est, indiget medicamine hisce dotibus prædito. Fibræ corporis laxatæ, languet iners, aut infirmatum nativæ oscillationis elaterium. Marcescit stomachus debitæ digestionis impotens, & impar elaborando eximii motis chylo, unde restaurentur vires. Est ut credas subsidere intrà meatus febrili luedià fœdatos, & hærere plurimas sordes, quibus cognoscitur præpediri motus solidorum, & fluidorum reciprocus. Vascula, cerebri languidè compressa, flaccescunt. Ipsummet cerebrum quasi inane stupet, deficiente debitâ spirituum copiâ. Quid in eo rerum discrimine cortex salutifer? Videtur spirituum gerere quasi vices, movere, & rarefacere sanguinem, & illius, ut ita loquar, pristinam supplere facultatem, donec sensim recreata sit. Vasculorum irritat tunicas, & ad contractiones celeriores egregiè invitat. Tum oscillationes amplius vibrari & vividius, canaliculorum diametrum aliquatenùs protendi; velocitatem circulationis crescere, simul robur. Cæteris paribus eò plùs animalia vigent, quò citiùs meat sanguis: hæc virtutis tonicæ. Tum astringens fibrillulas divaricantes decenter retractans consociat, & dirigit adamussim, villosam ventriculi membranam blando stimulo pertentat, & refovet, desuetamque cibi appetentiam revocat. Ex utrâque virtute conjunctâ, existit antiputrida, quâ fermentum febrile, residuum abstergitur; expellitur germen noxium, si quid remanet aut ad meliorem frugem reducitur. Non rara pro-

bant exempla cortice Peruviano gangrænam quandoque desperatam feliciter debellari. Illum etiam, non absimile vero est, invehere secum per totam corporis seriem, nonnullam balsami copiam, quâ refectæ invalidæ partes ad perfectam sanitatem alactiùs conspirant. Ad alios etiam morbos roborante suâ vi profligandos debilissimis hominibus datur. Sic viris hypocondriacis fœminisque histericis manè, & vesperi scrupulum Kinækinæ dedit Sydenhamus per multas septimanas, diù multumque ægrotantibus dejecta jam quasi œconomia foret. Integram tædiosi hujus mali curam solo hoc remedio se perfecisse testatur.

V.

NONNULLI metuent ne cortex Peruvianus imbecilla exsiccet, & incendat præcordia, nativi caloris residuum dissipet, & vitæ pabulum depopuletur. Nempè huic amaro objicitur stipticitas, & adstrictio. Non diffitemur levem quamdam adstrictionem, sive austeritatem inesse cortici; sed inde viscera inflammari nimis, & extenuari spiritus vitales pernegamus, nonne aloe, rhabarbarum & astringente, ac stipticâ qualitate, necnon calidâ imbuuntur? Quis ea unquam conquestus fuit noxios ignes in corporibus accendere? Neque exprobrandum quod meatus obstruat, atque hinc febris terminetur in difficiles morbos chronicos, hydropem, scorbutum, icterum tumoresque scirrhosos abdominis. Omnia hæc mala nullo jure cortici tribuuntur; multoties evenerant antequam Europæis innotuit. Damna hæc sunt incuriæ medentis, non remedii ex suâ indole innoxii. Aliquoties recidivam febrem, aut paroxismum ferociorem æger patitur: quid hoc ad corticem? Culpentur qui ipsum debitâ dosi, aut opportunè non exhibuerunt. Illius pharmaci usu constat febres citiùs ac certiùs fugari, quàm cæteris omnibus, & fugatas minus recrudescere. Hâc antidoto, multò plùs viget stomachus; coctio alimentorum felicior; vegetiores spiritus vitales; generi nervoso robur adjicitur, & habitus corporis à statu tabido, & cachectico quasi divinitùs in sanum, & validum mutatur.

Ergò sub finem Febris malignæ Kina-kina.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Carolus-Franciscus Theroulde de Vallun, Eques.

M. Stephanus-Ludovicus Geoffroy, Societatis Botanicæ Florentinæ Socius.

M. Petrus Poissonnier, Regis in Sacro Consistorio Consiliarius, Regi à Consiliis Medicis, in Regiis arcibus Maritimis & Coloniis totius Medicinæ Præfectus, Imperialis Academiæ Petropolitanæ, necnon Regiarum Stokolmiensis & Divionensis Academiarum Socius, Professor & Censor Regius.

M. Anna-Carolus Lorry.

M. Dionysius Pautier de la Breüille, S. S. Delphini & Delphinæ Medicus Primarius designatus.

M. Antonius Le Camus, Academiarum Regiarum Rupellensis & Ambianensis, Societatisque Litterariæ Catalaunensis Socius, & Scholarum Professor.

M. Bernardus-Nicolaus Bertrand, Rei Herbariæ Professor designatus.

M. Natalis-Andreas-Joannes-Baptista Chesneau.

M. Petrus Arcelin, Scholarum Professor designatus.

Proponebat Parisiis FRANCISCUS THIERRY DE BUSSY, Tullensis, Doctor Rhemensis, saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor, A. R. S. H. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facult. Medic. Typographi, 1763.